


Trianguli itaq; OGR , rectanguli duo latera OG & GR cognita sunt, quare angulus eius acutus GOR sciatur, ideoq; arcus PX . Quem si ex medietate arcus EXL propter chordam suam LE noti reieceris, manebit arcus LP notus. Hoc deniq; ex arcu HP sublato, relinquet arcus HL notus, & ideo angulus HEL non ignorabitur. Item arcum LP cum arcu PK iam notis, ex toto arcu LE minuas, & habebis arcum residuum KE scitum, quare angulus EHK sciatur. Duo anguli intrinseci HEL & EHK , iam noti æquipollent angulo EKG extrinseco, quare ipse notus erit, qui est angulus inclinationis epicycli quæsitus. Ex angulo autem HEL cognito cum latitudine astri minore, cognoscetur angulus inclinationis eccentrici ad eclipticam, quæ suere demonstranda.

Quantam latitudinem, siue Venus, siue Mercurius in omni eius ab auge epicycli distantia habeat perpendere. Propositio VIII.

Veneri & Mercurio idem processus eademq; figuratio inserviet. Igitur epicyclū ETD in altero nodorū cōstitutum, secet superficies plana eclipticæ perpendiculariter insistent, & per centrum epicycli B trāsiens. Sitq; superficiei huius cum epicyclo sectio cōmunis linea DE . Sectio autem communis huic superficiei secanti cum ecliptica sit linea AB , ita quod B representet centrū epicycli, in transitu eccentrici medio manentis, diametrum epicycli DE secet alia eius diameter HF perpendiculariter, totaq; superficies epicycli dicte superficiei secanti ad rectos incidat angulos. Quo fit, ut omnis linea in superficie epicycli perpendicularis, ad lineam DE superficiei eclipticæ æquidistet, una dun-

taxat linea HF dempta, quæ in ipsa eclipticæ superficie iacet.



Sit igitur Planeta in puncto T , notant ab auge epicycli, aut eius opposito habens distantia. A quo quidē puncto T ad superficiē eclipticæ perpendicularis TM demittat, duoq; puncta T & M , centro mūdi copulent per lineas AM & AT . Quærimus itaq; quantitatem anguli TAM , ex notis quibusdā rebus, scilicet, angulo ABE , & proportione lineæ AB & BE , distantiaq; puncti T , ab altero duorū punctorū D & E . Huius executionē faciemus, si orthogonalē lineā à puncto T ad lineam DE protendemus, quæ sit TK . Item perpendicularē LK ad superficiē eclipticæ, productis duabus lineis TB & LM , unde consequitur quadrilaterum $TKLM$ esse æquidistantiū laterum & rectorū angulorum,